

im manet, ut in eius origine. R. Iis in verbis ostendit Aristoteles duplicem operationis modum Alchymiae, unum sophisticum, & alterum verum. Modus sophisticus est falsus, eorum qui operantur secundum quod dictum est principio nostrae operationis, qui non reducunt pigmentalia ad spera eorum. Et ad tales loquitur Aristoteles & dicit, quod una species metalli per nullam convertitur in aliam, falso & sofisticum modo, ut ipse exemplificat in litera ad illos Sophistas. Qui autem operantur secundum nostrum modum philosophicum loquitur in eo quod concluditur in fine. Tria ducantur ad materiam primam. Quod dicit unam speciem metallorum transmutari non posse secundum modum sophisticum non bene permutantur & multiplicantur semina eorum sicut res ceterae. Et ideo per artificium omnia pigmentalia nostrae operationis reducuntur veraciter in primam materiam, id est, argentum vivum. Ideo opera nostra possibilis, vera & certa, & per nos solum investigata.

XII.

Quomodo est intelligendum illud dictum, quod dicit Pythagoras: Omnis qui argentum non coagulat in album, & argento nostro non conjungit, nullam sibi viam aliam eligit ad albedinem operandam, & non fatiget corpus suum ea ad quae pervenire non potest. R. Dicitur est, quod aqua non coagulat nisi corpus cum quo conjungitur dissolvitur, nec corpus dissolvitur nisi aqua coaguletur, hoc fit solutio corporis perfecti, vel semiperfecti. Tunc est aqua permanens. Et ista non conjungitur auro, nisi aurum est solutum & incineratum cum aqua sua fixa de qua creatum & compositum est. Et tunc Philosophi illud aurum non vulgi, sed suum dixerunt, vel nostrum. Item de argento dicunt similiter. Et si ergo argentum vivum congeletur in corpore ut dictum est in nostro opere. Et per eum & in eo fixetur & congelatur. Et conjungatur cum argento nostro preparato, ut dictum est in operatione nostra, cum argento nostro albo ad album. Et cum auro nostro ut dictum est in operatione nostra ad rubeum. Illam viam perfectam eligerimus ad album & rubeum, neque possemus vere ad perfectionem huius artis. Multae aliae viae quaestio- num possent fieri de praedictis, quae jam per praedicta facill-